

mentum respiciunt^{a)}), magnifice omni tempore assurgere^{b)} poterunt^{c)}), cum assint ipsis omnia necessaria copiose, parata semper ecclesia et^{d)}) prompta manente ad exaltationem et commoda eorundem. Quapropter excellentiam tuam quanta possumus affectione rogamus, quatenus hiis pensatis consolationem suscipias in domino Iesu Christo, qui iuxta est hiis, qui tribulati sunt corde¹⁾), qui post lacrimationem et fletum exultationem^{e)}) inducit, sancti Iob patientiam ad memoriam consulte reducens, qui, cum in magnis et multis adversis constans et humilis extitisset^{f)}), in omnibus nomen Domini benedicens, ab eo propitiationem obtinere meruit et beneficia recipere duplicata. In tua^{g)}) etenim consolatione tam^{h)}) regni Francie quam aliorum regnorum catholici ab instanti mestitia respirabunt, et vicensⁱ⁾) in conspectu altissimi fundas preces eique devotissime facias ab aliis supplicari, ut non tardet super hiis misericorditer providere ac in tanta^{k)}) adversitate consolationis medelam apponere oportune.

a) pertinere conspiciunt *M, V* b) assurgent *T* c) *fehlt T* d) *fehlt M, V* e) consolationem *M, V* f) constitisset *M, V* g) tam *T*
h) *fehlt T* i) viges *M, T, V* k) illata *M, V*.

1) *Vgl. Ps. 33, 19.*